

DVINVS de cas. consc. p. 827. Si maxime annun-  
 ciatio illa per : si credis, conditionaliter fieret, non  
 tamen esset frustranea, quia pœnitens omnium optime  
 certus est de sua fide & pœnitentia, ideoque annuncia-  
 tionem illam facile sibi applicare & sub illa univer-  
 sali: quicumque vere pœnitentiam agit, remissionem  
 peccatorum suorum impetrat, se quoque subsumere  
 potest. - - En, quid aiat FECHTIVS in Philocal.  
 sacra p. 132. TARNOVIUS formam conditionalem  
 non aliam intelligit, quam quali Salvator noster eius-  
 que Apostoli frequenter usi sunt, dicendo: Fiat tibi,  
 sicut credidisti; si credis, fieri hoc potest, fides  
 tua saluum te fecit. Quæ formulæ causam & con-  
 ditionem in se continent, a qua remissio peccatorum,  
 vel aliorum beneficiorum collatio, suspensa erat, eam-  
 que vel iam impletam, vel mox implendam. Id pa-  
 tet partim ex subiecta qu. 15. in qua eiusmodi formas  
 exempli loco adducit, partim ex comparatione cum  
 absolutione publica, ad quam in verbis supradictis pro-  
 vocat, in qua formulæ solemnes sunt: Ich NB. ver-  
 kündige allen bußfertigen Hertzen, die ihre Sünden  
 im Hertzen empfinden und bekennen und sich mit fe-  
 stem Vertrauen an das Verdienst Christi halten, die  
 Gnade GOTTes und Vergebung ihrer Sünden; denen  
 Unbußfertigen aber, so lang sie sich nicht bekehren, GOt-  
 tes Zorn und Ungnade.